

(<sup>3º</sup> Ratione materiae potest cum plerisque auctoribus dividi in duas partes: prior agit de formis *simplicibus* cogitandi; altera de formis *compositis* cogitandi. Quum autem tres sint operationes primitivae mentis<sup>1)</sup>, quae obiectum materiale dialecticae constituunt: simplex apprehensio, iudicium, ratiocinium, pars prior iterum in tres partes sive libros dividi potest, quorum primus de simplici apprehensione eiusque signo externo, secundus de iudicio, tertius de ratiocinio tractat.)

**3. Utilitas et historia dialecticae.** Omnibus patet, nullam sine dialectica posse esse scientiam<sup>2)</sup>, unde a S. Augustino et S. Thoma „ars artium et scientia scientiarum“ appellatur. Ac primum quidem apud Indos (Gotama in Njaja = ratiocinium) exordium sumpsisse videtur; neque vero rationem scientiae induit nisi tempore magnorum illorum sanae philosophiae parentum: Socratis († 400), qui dialogis suis quid conceptus significant investigavit; deinde Platonis († 348), qui definitionibus rectis operam dedit, ac praesertim Aristotelis († 322), qui integrum sistema dialecticae constituit tanta sagacitate et perfectione, ut usque modo vix quidquam adderetur vel immutaretur.<sup>3)</sup> (Cuius organum, sic vocatum ab Andronico Rhodio (70 a. Chr.), ab omnibus philosophis, exceptis Epicureis et Scepticis, receptum, praesertim in scholis christianis semper adhibebatur, primum iuxta „introductionem“ (εἰσαγωγή) Porphyrii († 304 p. Chr.), deinde in occidente iuxta latinam Boethii interpretationem. In scholis mediæ aevi summula logica, interpretatio Aristotelis, Petri Hispani Papae Iohannis XXI († 1277), in usu erat, et principes scholæ scholasticae de re logica optime meruerunt. Albertus Magnus († 1280) tum expositiones scripsit in totam Aristotelis dialecticam, tum in operibus suis permultis: „Summa theologiae, Summa de creaturis, Commentaria s. Scripturae, in Dionysium Areopagitam et Petrum Lombardum (20 vol. in folio in editione 1651) saepe quaestiones logicas tangit. Neque minus studii eius discipulus, S. Thomas Aquinas († 1274), angelus scholæ dictus, in logica explicanda collocavit, commentans Aristotelis opera et expresse de rebus logicis tractans.<sup>4)</sup>)

<sup>1)</sup> Cfr. rationem quam reddit S. Thom. S. Th. I, q. 58, a. 4. <sup>2)</sup> Cicero de oratore, IV (16). Quid Leibnitius de dialectica, eiusque utilitate senserit, vide eius „Opera philos.“ edit. Erdmann, p. 421 sq. <sup>3)</sup> En scripta logica Aristotelis: a) κατηγορίαι, categoriae i.e. doctrina de summis conceptibus; b) περὶ ἔρμηνεις, de iudicio et propositione; c) ἀναλόγικα πρότερα, de syllogismo; d) ἀναλόγικα δεύτερα, de demonstratione, definitione et divisione; e) τόπια, de argumentatione probabili; f) περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, de falsa argumentatione sive de fallaciis. Cfr. editionem graecam et latinam Academiae regiae Borussiae, Berolini 1831; necnon Scholia in Aristotelem ibid. 1836; porro Commentaria in Aristotelem Graeca, Berolini 1887. <sup>4)</sup> Praeter illas quaestiones logicas, quas doctor angelicus in operibus suis (17 vol. in folio in edit. 1570),

Postquam autem a saec. XVI. doctrina scholastica negligi copta est, etiam dialectica Aristotelis parvi aestimabatur. (In primis Baco de Verulam († 1626), reiciens syllogismum deductivum, „Novo organo“ suo novam cognitionis theoriam experientiæ sensuum fretus statuit, deinde Cartesius († 1650) logicam mentem magis corrumpere quam perficere arbitratus est. Neque mirum, quod reiecto scientiarum validissimo instrumento, ex illo tempore tot falsa sensistarum (Hobbes, Locke, Gassendi etc.), pantheistarum (Spinoza, Schelling etc.), idealistarum (Berkeley, Kant, Fichte, Hegel etc.) systemata ex cogitata sunt.) In scholis autem catholicis auctoritas Aristotelis eiusque logica semper vigebat. Nostris vero temporibus plerique magni nominis philosophi ut Trendelenburg,<sup>1)</sup> Ueberweg,<sup>2)</sup> Ulrici,<sup>3)</sup> Sigwart,<sup>4)</sup> Prantl,<sup>5)</sup> Harms,<sup>6)</sup> J. Hoppe,<sup>7)</sup> Wundt<sup>8)</sup> et alii multi ad dialecticam Aristotelis reverti cooperunt, quod omnibus scientiis et praesertim philosophiae magnæ fore utilitati speramus.<sup>9)</sup>

### Pars prima: De formis primitivis cogitandi.

Liber primus: Simplex apprehensio.

#### Caput I: De ideis.

##### § 1. De natura ideæ.

**1. Origo simplicis apprehensionis:** Simplex apprehensio (einfache Wahrnehmung) ut melius intelligatur, quid sit, expedire vide-

praesertim vero in „Summa theologiae“, in libris „Contra Gentiles“, in „Quaestiones disputatis“ et alibi saepe explicat, multa „Opuscula“ de rebus logicis scripsit (opusc. 37—49 in editione Lugduni 1572). Confer Englert, Logica ex operibus s. Thomae iuxta cursum philos. Cosmi Alamanni, 1901. Porro Stöckl, Gesch. d. Phil. des Mittelalters, Bd. 2. Grimmich, Lehrbuch der theor. Philos. 1893, p. 9; Wohlmut, Lehrbuch d. Philos. von Stöckl 8 1905, p. 426—456. — De auctoritate Aristotelis et Platonis apud scholasticos cfr. Schneid, Aristoteles in der Scholastik, 1875; K. Werner, der hl. Thomas von Aquino, 1859, 3 vol.; Nolte-Gonzalez, Philosophie des hl. Thomas, 1885, 3 vol.; Willmann, Gesch. des Idealismus, II, §§ 56, 57, 68; v. Hertling, Albertus Magnus (Festschrift) 1880. <sup>1)</sup> Geschichte der Kategorien, 1846; Logische Untersuchungen 1870<sup>2)</sup>. Elementa logices Aristot. 1892<sup>3)</sup>. <sup>2)</sup> System d. Logik und Geschichte d. log. Lehren, 1882<sup>5)</sup>. <sup>3)</sup> System d. Logik, 1852. <sup>4)</sup> Logik, 2 vol., 1889—1893<sup>2)</sup>. <sup>5)</sup> Geschichte d. Logik, 4 vol., 1858—1870, nonnunquam plus aequo veteres reprehendens praesertim scholasticos. <sup>6)</sup> Geschichte der Logik, 1881. <sup>7)</sup> Die gesamte Logik, 1868. <sup>8)</sup> Logik, 3 vol., 1893—95<sup>2)</sup>, opus ingenti eruditione referatum, sed propter sententias nominalisticas et idealisticas in logica et systema voluntarismi evolutionistici in metaphysica et ethica caute adhibendum, quemadmodum etiam alia eiusdem autoris opera. Etiam in dialectica Wundt nonnunquam ab Aristotele discedit. <sup>9)</sup> Vide plura de hac re: Überweg,

tur, breviter originem et naturam cognitionis nostrae tironibus philosophiae explicare et actus mentis describere, quibus cognitio nostra perficitur, ne confundantur actus intellectus inter se vel cum sensationibus.

1º Duplex igitur est in nobis modus cognoscendi: *per sensum* et *per intellectum*. Cognitio sensitiva fit per quinque *sensus externos*: visum, auditum, tactum, odoratum, gustum; et *per sensum internos*: sensum communem, memoriam sensitivam, phantasiam, vim aestimativam. Obiectum sensuum externorum primo duplex distinguitur: *materiale* et *formale*; *materiale* sunt omnes res extensae, quae sensibus percipi possunt; obiectum *formale* est illa ratio obiectiva sive illa proprietas, quam singuli sensus in rebus materialibus immediate et directe apprehendunt et sine qua nihil apprehendere possunt. Hoc autem obiectum *formale* iterum triplex distinguitur: a) Obiectum *proprium*, quod singulis sensibus per se solis competit: color oculis, sonus auribus, durities, calor etc. tactui, sapor gustui, odor odoratui; et hoc obiectum *primo et per se* a singulis sensibus percipitur. b) Obiectum *commune*, quod ab omnibus sensibus percipitur et est quantitas et quae eam sequuntur proprietates: figura, forma, motus, quies, directio. Obiectum commune vocatur, quia ab omnibus sensibus aliquo modo percipitur e. g. oculis et tactu, et quia supponitur a proprio sensibili; apprehenditur quidem a sensibus *per se*, sed non *primo*. c) Obiectum *sensibile per accidens*, e. g. ratio substantiae etc., quae nec *primo* nec *per se* a sensibus attingitur, sed ratione obiecti sensitilis proprii et communis ab intellectu percipitur; sensus enim non referunt solum colorem vel extensionem abstractam a subiecto suo, sed *res coloratas et extensas*.

2º Obiectum sensus interni sunt affectiones corporis nostri, e. g. dolores, fames, sitis etc. Memoria vero et phantasia per se non repraesentant nisi perceptiones sensitivas vel externas vel internas olim habitas; vis vero aestimativa sensitibile rerum cum bonis individui vel speciei convenientiam percipit, et est causa mirabilis illius brutorum animalium instinctus.

3º Quotiescumque igitur obiectum *materiale* e. g. homo, arbor, domus, modo debito praesens est, organum facultatis sensitivae, puta oculum, afficit vel immediate ut in tactu, gustu, odoratu, vel immediate ut in oculis per undulationes aetheris, in auribus per vibrationes aëris. Inde impressio materialis in organo ab obiecto habetur (e. g. irritatio retinae oculi, imago inversa obiecti ibi effecta, excitatio nervi optici, reactio cerebri etc.), quae *species impressa*

System der Logik, 1874<sup>4</sup>, § 9—36; Hagemann l. c. p. 15 sq. Pesch, l. c. I. p. 27 sq.

*sensibilis* vocatur. Qua specie vel impressione posita, anima corporata in organo vivo prodit in actum vitalem, qui *sensatio* appellatur. Sensatio igitur illa est actio immanens et vitalis, qua anima sensitiva modo quodam sensibili obiectum materiale apprehendit et in se exprimit, quae quidem assimilatio species *expressa* sensibilis vocatur.<sup>1)</sup> Omnis igitur sensatio vocatur simplex apprehensio *sensibilis*; de hac autem apprehensione sensitiva hic nobis non est tractandum.

4º Sensatione nunc praesente anima, quatenus est intellectiva — est enim eadem ac sensitiva — excitatur et determinatur ad obiectum sensibus iam perceptum modo intelligibili apprehendendum. Haec determinatio intellectus vocatur *species impressa intelligibilis*, qua posita intellectus suum obiectum quasi *intus legendo* sub speciebus sensibilibus percipit idque prorsus distinctum ab obiecto sensuum. Intellectus enim percipit a) plus vel minus perfecte rationem *essentialiae* et *substantiae*, rationem causae et effectus, rationem vitae, finis et mediorum; sensus autem non percipiunt nisi qualitates sensibles, meram coexistentiam in loco vel successionem in tempore, motum localem; unde conceptus arboris, lapidis nil continet eorum, quae sensus percipiunt, ut sunt certus color, quaedam extensio, sed rationem substantiae organicae vel anorganicae, quae obiecto sensibili non continetur. b) Intellectus apprehendit omnia modo *universalis*; sic conceptus hominis, trianguli ab omni determinato individuo abstrahit, sensus vero non referunt nisi obiecta individua materialia, concreta; neque phantasia, quae maxime ad intellectum accedit eiusque est instrumentum potissimum omnesque operationes mentales comitatur, quidquam universale (e. g. triangulum quod neque sit rectangulum neque obtusangulum neque acutangulum neque certae magnitudinis) exhibere potest. Conceptus autem universales fundamentum sunt omnis scientiae.

5º Operatio igitur illa qua intellectus obiectum sibi proprium in sensibilibus phaenomenis percipit, est *simplex apprehensio intellectualis*. Haec autem in fieri et in facto esse considerari potest. In fieri duobus actibus vel elementis constat: a) *attentione*, quamens potius ad hoc quam ad illud obiectum se dirigit, vel plus minus perfecte intueatur rem propositam; b) *abstractione*, quae actio est potissima in hoc genere neque realiter distincta a priori. Nam ut intellectus obiectum suum apprehendat modo intelligibili et universalis, debet abstrahere, i. e. considerare substantiam, essentiam rerum sine illis determinationibus, quibus vel physice vel etiam metaphysice affecta est; abstrahit igitur a qualitatibus sensibilibus et propriis et communibus, deinde a modo individuali, quo res in

<sup>1)</sup> Cfr. Geyser, Philos. Jahrbuch, 1899, p. 130 sq.

se existit. Neque vero haec abstractio sic est intelligenda, quasi intellectus primum perciperet illas notas sensibiles et individuales, quibus sensus referunt obiectum, ac deinde ab illis oculum averteret, vel obiectum eis positive privaret. Intellectus enim *primo et per se* illas notas sensibiles non apprehendit, sed rationes essentials et universales; ac proinde illa abstractio non est positiva, sed *negativa* potius et vocatur *abstractio naturalis directa vel primitiva*, ut opponatur abstractioni positivae, reflexivae, de qua mox sermo erit. — Simili modo etiam sensus abstrahunt, cum singuli singulas qualitates eiusdem corporis percipient sine reliquis in re unitis; sic oculus colores in campana sine sonis percipit; et phantasia etiam a loco et tempore abstrahit. — De tota hac materia infra in critica plura dicentur.

6º Haec autem abstractio primitiva mentis triplex esse potest: a) *physica*, quae abstrahit a corpore individuo, et tractat qualitates sensibiles, sed modo universalis e. g. phaenomena gravitatis, caloris, lucis, magnetismi etc., et constituit obiectum scientiarum naturalium; b) *mathematica*, quae ulterius progrediens, abstrahit etiam a sensibili proprio neque considerat nisi trinam extensionem modo universalis; itaque praebet obiectum scientiae mathematicae; c) *metaphysica*, quae abstrahit ab omnibus qualitatibus sensibilibus et materialibus et res tractat vel positive vel saltem praecisive immateriales; et haec abstractio proprie spectat ad philosophiam. Simplex autem apprehensio triplicem hanc abstractionem comprehendit.

In *facto esse* sive in *termino suo simplex apprehensio* est id quod in mente efficitur, et vocatur *species obiecti expressa*; et haec proprie spectat ad logicam et nobis diligentius est consideranda.)

2. **Natura simplicis apprehensionis:** Simplex igitur apprehensio ratione originis potest definiri: *Actus mentis immediate sequens sensationem et per abstractionem negativam rationes rerum universales in ea percipiens*; vel brevius: *primus actus mentis, quo notitiam obiecti acquirit*. Vocatur *actus mentis seu intellectus*, ut distinguatur tum ab omni actione materiali et cognitione etiam sensitiva, tum ab actu voluntatis; vocatur *primus actus*, non ratione temporis, quasi deberet esse prima cognitio intellectualis infantis vel alicuius obiecti *prima notitia*, sed quia experientiam tum externam, tum internam sensuum immediate sequitur aliosque actus mentis (iudicium, rationcinium) omnes praecedunt. Oritur enim obiecto ipso physice praesente et per se ipsum vel per sensationem intellectum determinante. Simplex apprehensio dicitur *notitiam obiecti* acquirere, quia obiectum aliquod primo menti quasi *praesens* sicut, non modo physico, sed intentionaliter.

1º Simplex igitur apprehensio in *facto esse* potest dupli modo considerari: a) ut *actus mentis* in genere, et hoc modo spectat ad psychologiam, non ad logicam; b) ut *repraesentatio obiecti*, quia mens apprehendendo obiectum illud quodammodo sibi assimilat et se ipsi assimilat modo intentionaliter, eiusque fit *imago spiritualis*, quemadmodum speculum refert imaginem hominis materialem et cera characterem sigilli ipsi impressum. Ideo terminus simplicis apprehensionis, seu id quod in mente efficitur, vocatur *idea*<sup>1)</sup> (*εἰδος*, video, wizan, wissen), quia est quasi *imago spiritualis rei*; vel *species expressa*, quia res in mente quasi in effigie exprimitur; (*conceptus*, quia est quasi partus mentis concurrentibus intellectu et obiecto; *verbum mentis*, quia mens quasi in se eloquitur, quod vidit; *notio*, quia notitia rei alicuius acquiritur<sup>2)</sup>) *terminus*, quia mens quasi terminatur et quiescit obiecto cognito; *intentio*, quia mens vim suam ad rem percipiendam intendit. Idem vero significat Aristoteles voce *ὅρημός*,<sup>3)</sup> quae et operationem abstrahendi simulque terminum cognitionis indicat.

2º Terminus autem simplicis apprehensionis i. e. *conceptus* potest *physice* et *logice* considerari: *physice* est quaedam mentis affectio realis accidentalis, quae consistit in aliqua assimilatione mentis cum re percepta (Erkenntnisbild) et etiam *conceptus formalis* vel *species expressa* sensu strictiore vocatur. Haec non est obiectum immediatum cognitionis, sed eius causa subiectiva repraesentans obiectum quemadmodum e. g. *imago illa minutissima in retina oculi effecta*, et infra in critica (thes. I) magis explicatur. Terminus autem simplicis apprehensionis *logice* consideratus est obiectum ipsum ut est in mente repraesentatum (Erkenntnisgegenstand), et *hoc modo est obiectum dialecticae*. Sed hoc obiectum iterum dupli modo considerandum est: *obiective* et *subiective*. Si *obiective* consideratur, *conceptus* consistit in complexu quodam notarum, quibus res aliqua a nobis apprehenditur, e. g. homo = animal rationale; si *subiective* consideratur, modus attenditur, quo obiectum cognitum in mente nostra existit i. e. modus ille abstractus et universalis, quo *conceptus* ad multa individua eiusdem naturae applicari potest; sic *conceptus homo* ut est animal rationale de omnibus hominibus praedicari potest.)

<sup>1)</sup> Idea diversas induit significaciones; nonnullis, ut Platoni, s. Thomae est exemplar rerum, aliis ut artificibus repraesentatio rei perfectae, aliis cognitione valde imperfecta; Kantio inter rationem (Vernunft) et intellectum (Verstand) *realiter* distinguenti est forma innata rationis; nobis idem significat quod aliae voces supra allatae. <sup>2)</sup> Stöckl tamen notionem vocat conceptum *perfectum* definitioni rei aequivalentem (Lehrb. d. Philos. I, 73); Überweg autem conceptum aequat definitioni. <sup>3)</sup> Ὁρημός ἔστι λόγος ὁ τὸ τι ἦν εἴναι σημαίνων (Top. VII, 5; Anal. post. II, 3.)

Id igitur, quod conceptus exprimit i. e. *complexus notarum, quibus constat, vocatur eius comprehensio (Inhalt); individua autem, ad quae applicari potest, sunt eius extensio (Umfang)*. Iam vero dialectica considerat conceptum logicum utroque modo i. e. tum eius comprehensionem tum eius extensionem. Comprehensio vocatur etiam *obiectum formale conceptus, extensio eius obiectum materiale*.<sup>1)</sup>

**3. Actus mentis simplicem apprehensionem sequentes et perficientes.** Simplici apprehensione peracta, mens potest redire in illum actum suum idque *reflexione vel psychologica vel ontologica vel logica*; prima considerat actum subjective, i. e. tanquam affectionem mentis, eius naturam et originem, unde pertinet ad psychologiam; altera considerat ipsum *objecum cognitionis idque formale, i. e. comprehensionem conceptus; logica tandem reflexio directe obiectum materiale, i. e. extensionem conceptus respicit*.

(1<sup>o</sup>) Si *comprehensio* consideratur, a) conceptus primo confusus et obscurus perficitur, ita ut fiat clarus et distinctus, sicut obiectum procul visum eo melius cognoscitur, quo propius illud spectamus; b) notae conceptum constituentes distinguuntur *essentialis* et *accidentales*, ita ut ad perfectionem definitionis scientificae evahatur.

(2<sup>o</sup>) Si vero consideratur *objecum materiale sive extensio*, appetet conceptum non solum aptum esse ad obiectum aliquod praesens exprimendum, sed, quia universalis est, infinita eum eiusdem naturae individua exhibere posse, unde conceptus per abstractionem directam a re sensibili formatus iam *in se vel potentia universalis (universale directum) per mentis reflexionem ontologicam vel potius logicam actu extenditur et fit universale reflexum. Universale directum* vocatur a scholasticis etiam *prima intentio*, quia apprehendit rem ut est in se, *universale reflexum vero intentio secunda*, quia apprehendit rem, ut est solum in mente ac proinde simplicem apprehensionem iam supponit.<sup>2)</sup>

(3<sup>o</sup>) Neque vero hic sistit reflexio mentis. Potest enim iterum redire in *comprehensionem* conceptus, notas singulas ab invicem separans per *analysisim*, ita ut novae ideae oriuntur simpliciores prioribus. Haec analysis vocatur etiam *abstractio reflexiva vel praeclarificatio obiectiva* (et distinguitur ab abstractione directa: a) *ratione obiecti*; nam huius obiectum immediatum est obiectum materiale i. e. res ut est in se; illius vero obiectum materiale est ipse conceptus i. e. res ut est in mente; b) *ratione modi quo fit*; directa abstractio fit modo

<sup>1)</sup> Nonnunquam comprehensio conceptus eius materia, universalitas autem eius forma vocatur, sed, ut patet, sensu aliquo modo immutato.

<sup>2)</sup> Cfr. S. Thomam, opusc. 48 (edit. Lugd.) de totius logicae summa; tract.

I, cap. 1.

negativo, quin mens notas sensibiles et individuantes antea cognoverit; reflexa modo positivo, quia mens notas iam directe perceptas ab invicem separat. Continuata hac analysi tandem ad conceptus pervenimus simplicissimos ac proinde supremos substantiae, accidentis, entis. Quodsi comprehensionem idearum sic efformatarum comparaverimus cum earum extensione, eas inversa se habere ratione apparebit, unde lex quedam logica derivatur: *Quo maior comprehensio conceptus, eo minor eius extensio et vice versa*.

(4<sup>o</sup>) Licet vero ideas sic efformatas *synthesi* quadam iterum diverso modo comparare et componere, ita ut ideae inde magis compositae oriuntur. Sic notioni entis addendo notas determinantes substantiae, corporeae, viventis etc., devenimus iterum ad individua. Qua idearum analysi et synthesis continentur omnes scientiae omnisque institutio. Omne enim iudicium vel ratiocinium supponit comparisonem idearum, ex qua earum vel identitas vel diversitas appareat; qua percepita immediate sequitur iudicium mentis subiecti et praedicati coniungentis vel separantis, in quo actu tandem plena ratio veritatis invenitur et cognitio absolvitur.<sup>1)</sup> Quemadmodum igitur iudicia prima oriuntur ex analysi ideae primitivae per simplicem apprehensionem efformatae, sic iudicia iterum eo tendunt, ut subiecto et praedicato synthesis coniunctis nova idea inde formetur, quae memoriam retenta mentem perficit eique habitum scientiae acquisitae tribuit.

## § 2. Divisio idearum.

### I. Ratione originis.

#### 1. Idea primitiva et factitia.<sup>2)</sup>

Ideae primitivae, quae etiam intuitivae vel immediatae vocantur, sunt illae, ad quas formandas mens determinatur ipso obiecto praesente. Oriuntur igitur ex simplici apprehensione, quae sequitur immediate sensationem tum externam, tum internam.

Ideae factitiae illae sunt, quas mens ipsa format ex primitivis. Oriuntur ergo ex reflexione mentis ontologica in comprehensionem conceptus vel per analysisim vel per synthesis; ac proinde etiam vocantur ideae abstractivae, mediatae, derivatae.

Possunt autem ideae factitiae formari a) *arbitrarie*, si mens pro libitu suo ideas componit (e. g. mons-aureus) vel dividit (e. g. homo — animal-rationale). Hoc modo praesertim artifices ideas sibi formant. b) *Discursive*, si

<sup>1)</sup> Cfr. infra p. 30 et 35 sq. Wundt, Logik I, 95, licet ipsi non consentiamus, iudicium esse primum actum mentis et conceptus primitivos haberi ex analysi iudiciorum. <sup>2)</sup> Non admittimus ideas *innatas* Platonis, Cartesii aliorumque vel formas a Kantio excogitatas a priori in mente existentes, quas infra in critica refutabimus.

fiunt iudicio vel ratiocinio aliquo, sicut idea Dei, animae spiritualis, immortalis. Hoc modo omnes scientiae et philosophia et mathematica et disciplinae naturales ideas efformant et veritates legesque generales statuant.

Idea eadem potest esse simul primitiva et factitia, e.g. duplum *huius domus*; vel simul arbitrarie et discursive factitia esse e.g. idea heroum, in qua operatione inventio instrumentorum collocanda est.

Idea *primitiva* semper est vera, quia oritur ex simplici apprehensione, quae sequitur sensationem, unde ab ipso obiecto determinatur; idea *arbitrarie* factitia non requirit nisi ut notae, ex quibus constat, sint sociabiles (e.g. mons aureus), quia existentia non affirmatur; unde falsa est et impossibilis idea circuli quadrati. Idea *discursive* factitia requirit, ut iudicium vel ratiocinium, ex quo efformata est, sit rectum; unde falsa est idea Dei corporei ex existentia vel perfectione substantiae corporeae deducta, Papae-Dei ex eius infallibilitate derivata.

2. Idea *directa* et *reflexa*. Directa est illa, quae repreäsentat obiectum *ut est in se*, sive existens sive possibile. Non confundenda est cum idea primitiva, quae quidem semper est directa; sed directae ideae etiam factitiae comprehendunt, quotiescumque hae res ipsas exprimunt; unde idea directa oritur tum ex simplici apprehensione ope abstractionis directae, tum ex reflexione ontologica ope abstractionis reflexae; eius obiectum est universale *directum* vel *metaphysicum*, non exprimit nisi comprehensionem ideae.

Idea *reflexa* est illa, quae exhibet obiectum, ut est *tantum in mente* ac proinde per operationem ipsius mentis constituitur; respicit igitur potius extensionem conceptus. In omni enim idea potest considerari *id quod exprimit* i.e. eius comprehensionis, et *modus quo exprimit*. Illud quod exprimit idea, est aliquid reale existens vel saltem possibile, e.g. homo = animal rationale: modus vero, quo idea illam realitatem exprimit, est a) universalis; e.g. idea homo nullum determinatum exhibit; b) abstractus i.e. distinguit et separat ea quae in re vel physice vel etiam metaphysice (essentialiter) coniuncta sunt e.g. animal-rationale. Iam vero hoc modo abstracto et universalis individuae non in se, sed solum in mente existere possunt. Idea igitur reflexa considerat res eo modo quo existunt in mente et fiunt per operationem mentis, et sic genera et species constituantur. Unde homo = animal rationale est idea directa hominis; homo ut species continens omnia individua humana est idea reflexa hominis. — Haec vero non confundenda est cum idea factitia; omnis idea reflexa est quidem factitia, sed non vice versa; reflexa oritur semper ex reflexione mentis, sed non sufficit solum ontologica in comprehensionem conceptus reflexio, sed debet accedere simul mere logica in universalitatem conceptus qua talem ac proinde potius in eius extensionem: propterea vocatur etiam universale *reflexum* vel *logicum*.

Omittimus illam nonnullorum auctorum ideae primitivae in directam et reflexam divisionem, prout obiectum reale nobis vel externum vel internum exhibit, ne confusio fiat.

## II. Ratione obiecti.

1. Ratione obiecti formalis, i.e. *comprehensionis* ideae distinguuntur:

a) *simplices* et *compositae*. *Simplex* est, quae ex una nota constat ac proinde in plures resolvi non potest, ut idea entis. Neque confundenda est idea simplex cum primitiva, quae potest esse et plerumque est composita, neque cum idea *entis simplicis* ut est Deus, spiritus, quorum idea, quam *nos* habemus, est valde composita.

Idea *composita* est, quae ex pluribus notis constat, e.g. homo, lapis. Neve haec idea confundatur cum factitia, quae potest esse simplex, e.g. idea entis.

b) Idea *concreta* et *abstracta*. Idea *concreta* est ea quae rem seu subiectum aliquod cum forma seu determinatione sua exhibet.<sup>1)</sup> Iam vero haec forma potest esse metaphysica, physica, logica; est *metaphysica*, si essentiam rei constituit vel cum ea necessario cohaeret, ut humanitas vel rationalitas in homine; unde idea: homo vel rationalis est idea *metaphysice* concreta. Forma *physica* ea vocatur, quae rei superaddita est et ab ea realiter distinguitur, ut sapientia, vel sanitas, vestitum esse in homine; proinde ideae: sapiens, sanus, vestitus sunt *physice* concretae. Forma *logica* solum extrinsece afficit rem ex denominatione logica, e.g. laus, honor; unde laudatus, honoratus sunt ideae *logice* concretae. Idea *concreta* in recto quidem significat subiectum, sed obscure; in obliquo autem formam, sed expresse.

Idea *abstracta* est ea, quae formam solam exprimit; ac proinde si forma est vel *metaphysica* vel *physica* vel *logica*, idea illam exhibens vocatur *metaphysice* (humanitas, rationalitas) vel *physice* (sapientia, sanitas, vestitum esse) vel *logice* (laus, honor) abstracta. — Notandum est, ideam concretam quoque esse abstractam, sicut omnes ideae a notis individuantibus abstrahunt, ideoque hic opponi ideae abstractae, in quantum haec *ulteriore* gradum abstractionis per mentis *reflexionem* effectum significat.

2. Ratione obiecti materialis sive extensionis distinguitur: Idea *singularis*, *universalis*, *particularis*, *collectiva*, *transcendentalis*.

Idea *singularis* est ea, quae rem individuam exprimit, ita ut pluribus simul convenire nequeat. (Cum vero nullius rei singularem naturam intrinsece intueri possimus, dupli modo res individua ex-

<sup>1)</sup> Wundt, Logik, I. 112, cum multis recentibus vocat conceptum concreturn, qui cum representatione sensitiva rei coniunctus est; abstractum, qui non nisi verbo coniungitur, quae ratio divisionis conceptum non per se, sed per accidens considerat, quamvis re forte cum veteri divisione coincidat.